



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoris nostris.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

sticias querentibus primum regnum Dei, & justitiam eius, Providentia tua Pater pascat & gubernet filios tuos, quia tu bonus es, neque pateris, ut sit inopia, querentibus te Domine. Pl. 33.

3. *Domine Subditi mei non sunt de numero eorum, qui appendunt argentum non in panibus, & laborem suum non in saturitate Il. 55. Justitiam & veram perfectionem esuriunt filii mei. Matth. 5. Eligunt operari cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam. Joan. 6. Ejusmodi cibus gratia tua, SS. Sacramenta tua. Eloquia tua dulcia faucibus nostris super mel & favum. Pl. 118. Obsecro Domine, nunquam obliviscar cum filiis meis comedere panem hunc. Pl. 101. Quotidie concalescat cor nostrum intra nos, Pl. 38. & in meditatione nostra exardescat ignis ille, quem venisti mittere in terram. Luc. 12. Sic fiet o Pastor bone, maxime si pane vitæ, quod est corpus tuum, dignè saturemur, & ex cella vinaria (in quam nos introducis Cant. 1. propinando sanguinem tuum) caritate erga te inebriemur. Fiet inquam, ut sicut adipe & pinguedine repleatur, Pl. 62. & delectetur in crassitudine anima nostra. Il. 55.*

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

1. *SI peccaverint aliquando in te filii mei (non enim est homo super terram, qui non peccet, & septies in die cadit justus) operi manuum tuarum o Pater porrige cito dexteram tuam. Job. 14. Ut erigas elisos, Pl. 145. & alliges contritiones*

tiones eorum. Pl. 146. *Nec regnet peccatum in mortali nostro corpore.* Rom. 6.

2. Noli permittere Domine, ut subditi mei *spernant modica* Eccli 19. & paulatim decidant, & maneat. *Fiat in illis supra modum peccans peccatum.* Noli permittere, ut *abyssus abyssum invocet.* Pl. 41. Vel simul *abyssus peccati abyssus nihilitatis,* & *dilecti tui faciant in domo tua scelera multa.* Jerem. 11. Interim *abyssum infinitam divinæ misericordiæ jugiter invocent.*

3. Pater iuste tolle de hoc regno tuo omnia scandala. Matth. 13. *Purga & perfice* Pl. 79. *palmitem, vineam tuam, ut fructum plus afferat.* Joan. 15. Ne sint obsecro inter filios dilectionis tuæ *ira & indignatio.* Ephes. 4. *Nec radix amaritudinis sursum germinet.* Habac. 12. Sed de cordibus suis remittant sibi mutuas offensiones, sintque *consummati in unum, sicut tu cum Filio tuo & Spiritu S. unus es.* Joan. 17. *Et cognoscat mundus; quia natio nostra obedientia est & dilectio.*

Et ne nos inducas in tentationem.

1. **P**rotector potentia, firmamentum virtutis, tegumen ardoris, & umbraculum meridiani. Eccli 34. *obumbra quæso per gratiam tuam super capita filiorum meorum in die tam periculosi & continui belli.* Pl. 139.

2. Quod si fortè *tentatio apprehenderit* 1. Cor. 10. *quemquam ex eis, quos dedisti mihi de mundo.* Festina Domine, Pl. 69. *ut fias ei adjuv*